



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici
Semestria duo**

Strauch, Johann

Jenae, 1675

Cap. II. De Concilio Lateranensi. Ad Tit. de Sum. Trin.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10224

te credit. Item, *quæ unius majestatis atq; virtutis Patrem, Filium & Spiritum S. constitetur; unius gloria, claritatis unius, nihil dissonum profana divisione faciens: Sed Trinitatis ordinem, Personarum assertionem & divinitatis unitatem credens.* Junge L. 6. C. T. de hæreticis. Item ea religio catholica est, quam & Divum Petrum Apostolum Romanis tradidisse constat. l. 2. C. T. b. t. Cæteri omnes ut manifesti hæretici expelluntur. ab Ecclesiis l. 3. C. T. b. t.

CAP. II.

De Concilio Lateranensi. Ad Tit. de Sum. Trin.

S U M M A R I A.

- | | |
|--|-------------------------------|
| 1. Concilium Lateranense generale egit de septuaginta capitibus & recuperandis Hierosolymis. | 4. Secunda sub Callisto II. |
| 2. Lateranense unde dictum. | 5. Tertia sub Innocentio II. |
| 3. Septem synodi ibi coactæ. Prima sub Nicolao II. | 6. Quarta sub Alexandro III. |
| | 7. Quinta sub Innocentio III. |
| | 8. Sexta sub Eugenio IV. |
| | 9. Septima sub Julio II. |

IN hoc titulo primo duo habentur capitula, ex concilio Lateranensi quinto desumpta, quod generale appellatur, ad differentiam antiquioris Lateranensis, sub Alexandro III. Præfuit illi Innocentius III. duo Patriarchæ, CPolitanus & Hierosolymitanus. Archiepiscopi Græci & Latini LXX. Episcopi 400. Abates XII. Priores conventuales 800. Habitum est circa annum Domini 1215, actumque in eo de septuaginta capitibus contra hæreses, & ad mores & statum Ecclesiæ pertinentibus, tractatumque de recuperanda Hierosolyma. Erat olim Romæ, in Cælio monte palatium familiæ nobilissimæ Lateranorum, quorum meminit Javenalis Sat. 10.

egregias Lateranorum obsidet aedes.

Tota choors.

Julius Lateranus Consul designatus jussu Neronis interfectus est. Jul. Capit. Aurel. Ubi aedes hæ erant, postea divi Johannis Basilica.

ca ædificata est, antehac Basilica Constantini dicta, quod fuerit à Constantino magno donata Sylvestro Pontifici, si fides Blondo, *Instaur. Ital.* Hic loci septem Synodi coactæ fuere. Prima sub Nicolao II. Sabaudo, in quo damnatus error Berengarii & Pseudo Pontifex, præscriptâque eligendi summum Pontificem formâ per solos Cardinales *can. In nomine Domini. dist. 23.* Platina in *Nicol.* Secunda sub Calixto II. Burgundo, coactis 900. Patribus, in quâ contra Turcam constitutum, & decreta contra Imperatores Germanorum à prioribus Pontificibus stabilita & ademptæ concubinæ Sacerdotibus & Clericis. Alb. Kranzius *lib. 3. c. 40.* Tertia Synodus habita est sub Innocentio II. circiter annum domini 1135. coactis mille patribus, in quâ potissimum decretum, ne quis in prædiis sacerdotalibus sibi successorem constituere possit. Otto Frising. *lib. 7. c. 23.* Quarta sub Alexandro III. Pontifice, circiter A. D. 1170. In quâ, ne quis Turcis arma subministraret cautum, itemque sacerdotiorum pluralitas prohibita. *c. 3. de cler. non resid. eorumque ante vacationem promissio c. 2. & 3. & c. Ex tenore de concess. præb.* Prælati prohibita epulæ lautiores, venationes, & hujusmodi plura. *c. cum apostolus. X. de censib.* Quinta maxima Synodus sub Innocentio III. de quâ diximus. Vide *P. Æmilium lib. 6.* Sexta Lateranensis sub Eugenio IV. Veneto peracta anno 1446. teste Platina, quâ actum, ut Germani, qui nec Romano, nec Allobrogi Principi adhærebant, reducerentur ad unitatem. Septima sub Julio II. contra Turcas, quam transtulerunt Pisas, ut scribit P. Jovius. Sed re infectâ, tractatuque habito super derogatione pragmaticæ sanctionis in aliquibus, tempore Leonis X. ejus successoris & Francisci. I. Regis Galliarum conclusum hoc fuit concilium & conventiones seu concordata ibi publicata & approbata. *Vide Præmium Concordatorum.*

CAP. III.

Ad c. firmiter i. X. de SS. Trin.
De descensu Christi ad inferos.

S U M-